Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8145
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

creatoris et conditoris erant te cui et nunc. Item scilicet non est esus
carnium. Ostendite nobis aliqua mandata euangelice aut a-
postolice scripture, aut aliquorum orthodoxorum patrum traditiones
in quibus generaliter preceptum sit ut abstineatur ab eis, et credimus uobis.
Dominus saluator quando ad predicandum discipulos suos misit, inter
cetera hec dicebat ad eos. In quamcumque domum intraueritis
primum dicite. Pax huic domui. Et si ibi fuerit filius pacis, requiescet
super illum pax uestra. In eadem autem domo manete, edentes et bi-
bentes que apud illos sunt. Dignus est enim operarius mercede sua. Vi-
detis certe quia non exclusit a cibis eorum esum carnium. Ita non di-
ceret. Quod si uobis apposuerint carnes, nolite manduca-
re. Quod utique dixisset si esum carnium sciuisset eorum periculosum fore
estimasset. Dicite mihi. Si inmunda est omnis caro et coinquinat
manducantem, quomodo uerum erit quod saluator dixit. Non quod intrat
in os coinquinat hominem, sed quod procedit de ore hoc coinquinat
hominem. De corde inquit exeunt cogitationes male, homici-
dia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphe-
mie. Hec sunt que coinquinant hominem. Ergo o Kathari non car-
nes uos coinquinant si manducaueritis eas, sed mandata uestra
quibus creaturam dei bonam dicitis esse inmundam. Non tamen hoc dico
quin sit cure ut umquam aliquid boni manducetis aut biba-
tis quamdiu (ab eo / qui?) propter apostolo dei tam peruerse doctrine mortiferum poculum usque
propinatis. Audite nunc et quod apostolus noster scribens ad corinthi-
os dicat. Omne inquit quod in macello uenit manducate,
nichil interrogantes propter conscientiam. Domini est terra et pleni-
tudo eius. An nescitis quia in macello carnes uenundari so-
lent? Si ergo omne quod in macello uenit uel uenundatur man-
ducare licet, tunc secundum apostolum ubique et carnes manducari possunt